

necdum sit homologatum, aliunde liceat recedere, præstito eò, quod interest *arg. cap. per suas 9. h. t. d. l. diem 27. §. ult. ff. de Recept. qui arbit.* II. reductionem adversari scopo & fini arbitrii, qui alius non est, quam ut lites minuantur. III. in *Nov. 82. c. 11.* prohiberi arbitria jurata, utique ex causa non alia, ac quia reductionem petens fieret perjurus: perjurus autem non fieret, si obligatio alternativa ex laudo confurgeret, vel illud adimplendi, vel petendi reductionem: cum juramentum sequatur naturam actus, cui apponitur.

9 Resp. ad I. reductionem neququam esse superfluum: quia, si quis præstare non velit, quod interest, remedium aliud non habet, quam ut repudiatò laudò, reductionem petat.

10 Ad II. Resp. scopum & finem arbitrorum esse, non tantum ut lites abbrevientur, sed etiam ut sumptibus parcat, in processu judiciali faciendis: huic autem

fini non obest reductio, dum, facta etiam reductione, quæ servit in vicem appellationis, temporis & expensarum compendium percipitur.

Ad III. Resp. ex *cit. Nov. reductionis li. 11* centiam manifestè probari: hoc ipsò enim, quòd liberum sit, aut stare arbitrio, aut petere reductionem, periculum non leve subest, ne, præstito quoque juramento, sub prætextu obligationis alternativæ queratur reductio; adeòque, ut ansa perjurii evitaretur, non sine causa Imperator arbitria jurata prohibuit. Neque dubitandum est, quin juramentum de servando laudo arbitri jurantem obliget, stare promissis: siquidem, cum simile juramentum pro suo objecto habeat, non usum sui juris, non sequitur naturam obligationis alternativæ, sed potius libertatem reducendi, antehac competentem, tollit, ac jurantem præcisè obstringit, ut laudo parcat per *cap. non sine 2. h. t. in f.*

SUPPLEMENTUM  
AD  
TRACTATUM II.  
DE  
PROCESSU ANTE LITIS  
CONTESTATIONEM.

CAPUT I.  
De Libello.

SUMMARI A.

- 1. Antiquitus idem erat, offerre libellum, vel edere actionem. 2. & seqq. Editio actionis fiebat quadruplici modo. 6. Erat in arbitrio actoris, reum mox in jus vocare, aut actionem ipsi edere. 7. Hodie in locum editionis successit libellus. 8. & seqq. An nomen actionis in libello sit exprimendum? Adducitur pro affirmativa discursus D. Noodt. 13. & seqq. Rationes pro negativa, ab ipso soluta. 17. & seqq. Concordatur hic Author cum nostra sententia. 19. Refertur nostra opinio de emendatione & mutatione libelli. 20. & seqq. Combinatur l. 3. Cod. de Ed. cum l. un. Cod. de Litis contest. 22. & seqq. Additur major illustratio ex *cit. Authore.* 25. & seqq. Explicatur §. 35. Inst. de Action.

QUÆSTIO I.

*Idemne sit, offerre libellum, ac edere actionem?*

1 Quid in prisca Romanorum Republica idem fuerit in effectu & re ipsa, colligitur ex iis, quæ eruditè disquirunt Gerardus Noodt ad *tit. ff. de Edendo.* Ibi namque, dum privata in jus vocatio in usu erat, edebat actor reo suam actionem, id est, significabat, quam actionem contra ipsum movere intendat. Ita Ulpianus in *l. 1. ff. de Edendo in pr. quæ quisque, ajens, actione agere volet, eam edere debet: nam* *acquistimum videtur, eum, qui acturus est, edere actionem, ut proinde sciat reus, utrum cedere, aut contendere ultra debeat; & si contendendum putat, veniat instructus ad agendum, cognitâ actione, quâ conveniatur.* Fiebat autem editio juxta Ulpianum *d. l. §. 1.* quadruplici modo. I. si actor faciat reo facultatem describendi actionem, libellò comprehensam. II. si descriptam adversario tradat. III. si actor

actor adversario actionem dicitur voce sua, & adversarius ex ore ipsius excipiat. IV. si actor adversarium suum ducat ad album, & demonstret, quod diciturus est, vel id dicendò, quòd uti velit, quòve jure vel actione experiri intendat. Solebant enim Prætores in ingressu Magistratùs sui in alba tabula vel albo pariete proponere edicta, & formulas actionum, ut scirent cives, quod jus de quaque re quisque diciturus esset, seque præmunirent. *l. necessarium 2. §. 10. ff. de O. F.* Poterat nihilominus actor reum aut sine editione actionis mox in jus vocare, aut, ubi humanius agere voluit, prius, quàm voca-

ret in jus, actionem ipsi edere; eò discrimine, quòd in casu posteriore reus, cum in jus venisset, teneretur statim actoris intentioni respondere; in priori verò spatium deliberandi potuerit petere, an magis expediat, litem suscipere, vel ab ea abstinere.

Sublatà ejusmodi edendæ actionis solennitate, subintravit oblatio libelli ad imitationem Imperatoris in *Nov. 53. cap. 3. Nov. 96. cap. 1. & Nov. 112. cap. 1.* indeque *des. Auth. offeratur & Auth. libellum Cod. de Litis contest.* sicque in libello hodie editur actio, ac libellus, Judici oblatus, ab eo transmittitur reo, aut ipsi, in jus vocato, redditur.

QUÆSTIO II.

*An nomen actionis specificè in libello sit exprimendum?*

8 Quæstionem hanc evolutam cernis in hoc *cap. à n. 49* Et, cum affirmativam tueri videatur Gerardus Noodt ad *cit. tit. ff. de Ed. juvat ipsius discursum adducere.* In actione in rem, inquit (cujus formula erat: *fundum, qui est in agro, qui sabinus vocatur, eum ego ex Jure Quiritium meum esse ajo*) duo fuerunt observanda. Primum est, ut res, quæ peteretur, bene designaretur, & quidem fundus tam demonstratione nominis, quàm loci, quo sit per *l. si in rem 6. ff. de R. V.* alterum erat, ut petitor diceret, se ejus, quod petit, dominum esse; quod & traditum in *l. in rem 23. ff. eod.* In actione personali (cujus formula fuisse creditur: *ajo, te mihi decem dare oportere ex stipulatu*) erant duo similiter exprimenda; primum res, quæ peteretur *l. in actione 19. in pr. ff. de Furs.* deinde obligatio, ex qua petitio fieret *§. omnium 1. Inst. de Actio.* An & nomen, seu genus, sive, ut dicitur in *l. si filiusfamilias 3. Cod. de Sc. Macedon.* titulus actionis, ut puta, ex stipulatu, ex mutuo, ex empto? Mihi placet, & commodè ajunt Severus & Antonin. in *l. edita 3. Cod. de Ed. edita actio speciem futura liti demonstrat.* Insuper erat quotidiana Veterum disputatio, utrum hæc vel illa competeret actio *l. adversus 1. ff. si mensor fals. mod. dix. l. actio 1. ff. de Æstimat. act. r. t. de R. V.* Præterea ait Pomponius *l. necessarium 2. §. 6. ff. de O. F.* ex duodecim Tabulis compositas esse actiones, quibus inter se disceptarent homines; easque actiones, ne populus, prout vellet, institueret, certas solennesque fuisse.

13 Obstat tamen Gerardo Noodt, partim, quia jam tempore mediæ Jurisprudentiæ formularum angustia relaxata, & actio præscriptis verbis inventa est *l. nonnunquam 1. &*

*seqq. ff. de R. V. l. labeo 50. ff. de Contrab. empt.* partim quia verborum aucupia & formulæ tandem ab usu recesserunt per *l. ult. Cod. de formul. & impetrat.* At respondet ille, hoc non obstare, quòd minus actor in actione personali, præter rem, quæ petitur, etiam obligationis causam exprimere deberet, dum ipsimet Imperatores in *d. l. ult.* volunt, tunc demum nulli objici exceptionem non impetratæ actionis, si constiterit, eam esse rei aptam & proposito negotio convenientem; talem autem quis dicat, nisi intelligat causam obligationis, ex qua conveniatur? potest enim eadem res sæpius deberi ab eodem *l. etiam 14. §. 2. ff. de Except. rei jud.* neque sequitur, si quis debere aut obligatus esse dicatur, eum idcirco esse esse ex empto v. g. conveniendum: cum possit ex societate aut aliter teneri.

Quia verò nos ipsimet in hoc *cap. num. 18. 17* conclusimus, in actione personali libello inferendam esse causam petendi non tantum proximam, sed etiam remotam, ex quo titulo v. g. mutuo, vel empto petatur: hinc facillè cum præfato Noodt poterimus in concordiam venire, si ille per genus seu speciem actionis intelligat causam debendi remotam, non verò specificam actionis expressionem, quasi necesse sit dicere, actione ex stipulatu, conditione certi ex mutuo rem peto. Imò id ipsum huic Authori non displicere, apparet ex propriis ipsius verbis, dum ait: sunt tamen, qui putent, oportere quidem causam obligationis edi, sed actionis nomen edi non oportere: at mihi videtur res eodem redire, sive actionis nomen edatur, sive causa obligationis: cum enim editur actionis causa, editur actionis nomen, si non unò vocabulò, at verborum ambitu, qui fungitur nominis vice.



## QUÆSTIO III.

Liceatne libellum emendare, vel mutare?

- 19 Ita fuse deduximus hanc materiam in *præs.* cap. à num. 137. ut nihil videatur reliquum; præterquam si amatoribus eruditionis lubeat audire, quæ solertissimus Legum Romanarum Interpretes mox citatus Gerardus Noodt ad *tit. ff. de Ed. circa fin.* adnotavit. Putat ille l. 3. *Cod. d. r. esse partem l. un. Cod. de Liris contest.* cum utriusque tenor, inscriptio, & subscriptio id evincat; ac utramque sic conjungendam: *res in iudicium deducta non videtur, si tantum postulatio simplex celebrata sit, vel actionis species ante iudicium reo cognita: inter litem enim contestatam & editam actionem permultum interest: lis enim tunc contestata videtur, cum Judex per narrationem negotii causam audire coeperit. Edita actio speciem futura liti demonstrat, quam emendari vel mutari licet, prout edicti perpetui monet auctoritas, vel jus red-*
- 20 *denis decernit aequitas.* Sensus juxta Noodtum est, actori ante litem contestatam vi edicti perpetui licere ultrò emendare vel mutare editam actionem; post litem contestatam ei neutrum licere auctoritate ejus edicti, sed demum ex speciali Prætoris decreto, impetratâ in integrum restitutione. Ratio diversitatis est: quia lite contestatâ videtur quasi contractum inter actorem & reum, adeoque non debet actori facile concedi, ab ea recedere sine consensu rei, cui jus quaesitum est; aliter ac fit, cum actio tantum edita, id est, cum species futurae liti reo ante iudicium tantum demonstrata, neque adhuc
- 21 *de ea quasi contractum est.* Si tamen ap-

pareat evidens æquitas emendandæ aut mutandæ actionis, etiam post litem contestatam indulgenda erit ejus emendatio & mutatio: et si non simpliciter, nec sponte: non enim potest actor, invitò reò, ab instituta actione desistere sine permisso Prætoris; & ut renuntiet liti, adhuc reo manet jus urgendi sententiam in liti contestatâ; etiam tenetur Judex ferre sententiam l. de qua re 47. ff. de *Judic.* antea non functus officio suo. Ex-24  
emplum Prætoris æquitatis per in integrum restitutionem Paulum ad hoc edicti caput, attulisse putat *cit.* Noodt in l. 4. §. 3. ff. de *Noxal. actio.* Eò quoque in lib. I. de *Jurisdict.* cap. 13. pertinere iudicat §. 33. *Instit. de actio.* ibi: *si quis agens in intentione sua plus complexus fuerit, quam ad eum pertineat, causa cadebat, nec facile in integrum restituebatur à Prætoris, nisi major erat viginti quinque annis &c.*

Quod attinet §. *si quis aliud* 35. *Instit. d. r. 25* non malè quadrat expositio Huberi ad *tit. ff. de Ed. num. 11.* mutationem nempe libelli admittendam, si causa ex integro agatur, actor novam reo actionem edat, novamque permittat deliberandi spatium; denique & impensas perperam motæ liti refundat. Quod iudicium hætenus non differt à no-26  
vo, quatenus novâ in jus vocatione non est opus, sed in continenti cuncta apud eundem Judicem, ac ita quodammodo in eodem iudicio retractantur; sed tamen, ut novâ opus sit instantiâ.

## CAPUT II.

## De Citatione.

## SUMMARI A.

1. Vocatio in jus est idem acque vocatio ad Prætoris. 2. & seqq. Pluribus describitur modus in jus vocandi ex LL. duodecim tabularum. 6. Mutatus est sub Græcis Imperatoribus. 7. Et adhuc magis à Justiniano. 8. & seq. Discrimen inter citationem & vocationem in jus. 10.

Hodie videtur cessare. 11. & seq. Edocetur, quid faciendum, quando aliquis à pluribus Judicibus citatur. 13. Citatus ad unam causam non tenetur in alia respondere. 14. Et, si alius aliter fiat, quam fuerit expressum, non valet.

## QUÆSTIO I.

Quid sit vocatio in jus, &amp; quomodo differat à Citatione?

- 19 Vocatio in jus ex LL. Romanis est vocatio ad Prætoris: jus enim est locus, ubi Prætor jus dicit, salva Majestate imperii sui l. pen. ff. de *J. & J.* hucque pertinet dictum Ulpiani in l. 1. ff. de *in jus voc.* ubi, finem hujus vocationis respiciens, in jus vocare, inquit, est juris experiendâ causâ vocare. Fiebat ea vocatio, ut exponit Noodt

ad *tit. ff. aliter ex duodecim tabulis, aliter Jure novo.* Olim quippe ex duodecim Tabulis privatim fiebat per actorem, nec erat Prætoris permisso opus, ne apparitore quidem. Quin ultrò licebat actori, dicere occurrenti sibi in via debitori: *ambula in jus, sequere in jus, ego te in jus voco,* aut simile. Tenebatur sic vocatus vocantem in jus illi-

- eo sequi; quod nisi faceret, erat actori potestas, aliquos ex prætereuntibus, aut amicis eum in finem advocatis, attestari, id est, rogare, vellentne esse testes: quibus affirmantibus, permittebatur actori post attractionem eorum autem (id enim fiebat cum adjectione verbi, *memento*) reo moranti, aut frustranti, aut pedem struenti ad fugam, manum injicere, eumque obortò collò ducere, & trahere in jus, etiam invitum. Hoc obtinebat, si præsens esset reus. At, si latitaret, aut aliter non esset actori facultas cum eo agendi, solebat actor die postulationum implorare Prætoris auxilium. Prætor vero, resummatim cognitâ, jubebat reum evocari ad sui defensionem, aut denunciationibus, si ita domi latitaret, ut aditum ad se admitteret; aut edictis, si aditum ad se non præstaret; aut literis, si Româ abesset. Sic fuit ex duodecim Tabulis, idemque procedebat jure Pandectarum. Sed deinde paulatim fuit abolitum, maximè sub Græcis Imperatoribus, in quorum constitutionibus frequens mentio conventionis, per viatorem

executoremque faciendæ ut in l. *sicut* 3. l. omnes 4. *Cod. de Præscript.* 30. vel 40. *annor. l. ult. Cod. de Annal. except.* Tandem Justinianus in Novellis hanc introduxit formam in jus vocationis, ut primùm actor libellum deponat apud acta; hunc apparitor reo offerat, itaque reum vocet in jus. Vid. *Nov. 53. 96. & 112. cum Auth. offeratur & Auth. libellum Cod. de Liris contestat.*

De reliquo discrimen inter citationem & in jus vocationem hoc assignat Huberus ad *tit. ff. de in jus voc. num. 4.* quod citatio fiat post litem contestatam, vel saltem, postquam litigantes in jus venerant, actione jam editâ, satisfactionibus, aliisque iudicii præambulis jam peractis. Adhæc citatio fiebat voce præconis l. *divus* 7. ff. de *in integr. restitut.* aut propositis legitimis edictis l. *ad preemptionem* 68. ff. de *Judic.* Item citari solebant etiam actor & testes, ut habet scholium ad *tit. loc. Huberi.*

Hodiè cessat omnis differentia inter hæc 10  
vocalia, ac citatio & in jus vocatione pro eodem accipiuntur. Huberus d. l. n. 5.

## QUÆSTIO II.

Quid faciendum, si quis à diversis Judicibus citetur?

- 11 Consilium dat Clariss. D. Herz de Magistratu in lib. 2. cap. 2. tit. 2. num. 11. videlicet adeundum esse Judicem majorem, si quis adfuerit per l. *contra* 54. §. 1. ff. de *Re judic.* etiam si sit una eademque causâ dummodò Superior Judex illam ad se avocare possit l. *ju-*

dicium 58. ff. de *Judic.* alioquin, si Judices inter se non sint subordinati, ad illum, qui prævenit, seu apud quem lis jam est cœpta, esse accedendum l. *si quis* 7. ff. *cod. l. cum quadam* 19. in princip. ff. de *Jurisdictio.*

## QUÆSTIO III.

Utrum citatus ad unam causam respondere debeat in alia?

- 13 Resp. negativè. Quemadmodum enim reus non tenetur respondere ad aliam causam, ac quæ in editione actionis aut libello exprimitur; ita etiam citatus ad unam causam in alia respondere non obstringitur: neque enim, si se paraverit ad certam controversiam, perinde etiam paratus est ad diversam; & idèò novum deliberandi spatium ei

concedendum est arg. *Auth. offeratur Cod. de Liris contestat.* Imò, si citetur reus ad certum actum, & ille sive in qualitate, sive in quantitate, sive in substantia aliter tractetur, quam in citatione fuerit expressum, idem est, ac si nulla fuisset facta citatio arg. l. *aut aliter* 5. in pr. ff. *Quod vi aut clam.* Clariss. P. Benedict. Schmier ad *tit. de Libello* p. 2. num. 43.

## CAPUT III.

## De Reconventione.

## SUMMARI A.

1. Allegatur Nov. 96. cap. 2. ex qua inferri videtur, reum conventum debere actorem necessario convenire. 2. Probatur contrarium. 3. & 4. Explicatur *cit. Novell.* 5. Datur limitatio. 6. Tutor, nomine pupilli conventus, eodem nomine potest reconveniri. 7. Non item nomine proprio. 8. & seq. An reconventio ad-

mittatur in iudicio possessorio? Dua rationes negandi. 10. & seqq. Eligitur sententia affirmativa, & probatur. 12. & seqq. Respondetur ad duas rationes oppositas. 16. Locum non habet reconventio in executione; & 17. Quando non proceditur per viam actionis.

QUÆSTIO I.

Utrum reus conventus cogatur actorem coram eodem Judice reconvenire?

**N**on esse in arbitrio rei conventi, num reconvenire velit apud eundem Judicem, sed obligari, ut id faciat, videntur aliqui concludere propter Nov. 96. cap. 2. §. 1. ibi: *sancimus, si quis obnoxius arbitratur habere eum, qui contra se conventionem exposuit, non apud alium Judicem, sed apud eum mox à principio convenire, & eundem esse Judicem in utroque negotio.* At, quia nemo invitus agere cogitur l. un. Cod. ut nemo invitus &c. is verò, qui reconventionem instituit, reipsa agit & petit: non possum ab hac regula discedere, & cogere reum, ut reconventionem suam, tanquam in ejus præcipuè favorem inventam, coram eodem Judice moveat; non attentà cit. Nov. utpote quæ reum ad reconventionem coram eodem Judice non cogit absolute, sed durante tantum eodem iudicio, ut patet ex verb. final. cit. §. 1. ibi: *si itaque taceat, deinde postea voluerit causam apud alium Judicem movere, necessitatem eum habere, susti-*

*nere terminum ejus litis illata sibi ab eo, qui eum in iudicium traxit; & dum suam lis acciperit, tunc eum suam causam apud alium Judicem proponere.* Rationem dat Justinianus in d. cap. 2. in pr. quia, dum uterque in mutua petitione apud diversum Judicem facta, scorsim alteris obtinet officium, miserandum quiddam & resibile inde veniebat: mox enim, cum voluisset aliquis propriam movere litem, repente is, qui ex diverso convenerat, apud alium Judicem trahebat eum, apud quem ipse sortitus fuerat Judicem, & alterutros protrahentes immortaliter permanserunt litigantes. Limitat quoque vel declarat suam constitutionem Imperator in d. §. 1. quòd, si reus habeat suspectum Judicem, causam suspicionis intra viginti dies, à transmissione libelli computandos, proponere, & his probatis, coram alio surrogato utramque litem continuare possit. Bruneman. ad Auth. & consequenter Cod. de Sentent. unum. 1.

QUÆSTIO II.

An Tutor vel Curator, agens nomine pupilli, vel minorennis reconveniri possit?

**Q**uin reconveniri possit nomine pupilli vel minorennis, extra debitum est: sicut enim Tutor vel Curator alienò nomine agere; sic & eodem nomine tenetur respondere. Quòd autem in causa propria, quousque durat processus, pupilli aut minorennis nomine ventilatus, reconveniri, aut quæstio-

ne aliqua pulsari valeat, aut de suis debitis respondere cogatur, Huberus ad tit. ff. de quib. reb. ad eundem Judic. cit. unum. 4. post Berlich. Consil. practicab. 22. p. 1. n. 12. & 13. Carpz. Jurisprud. for. p. 1. consil. 7. def. 6. non permitendum existimat, ne causæ eorum, quibus præstant, retardentur.

QUÆSTIO III.

An reconventio locum habeat in iudicio possessorio?

**C**essare eam, asseverat Huberus cit. l. n. 6. nisi reconventio sit ejusdem generis & æquè summaria. Rationem bifariam assignat. Una est, quòd possessoria causa sit celeriter terminanda, eique sua celeritas per reconventionis largiorem processum adimi non debeat. Altera est, quòd possessorium præcedere debeat iudicium petitorium; conventio autem & reconventio ita comparatæ sint, oporteat, ut pari passu procedere & terminari possint; nec petitorium fundari queat, nisi de possessione constet. Sed, utut Huberi doctrina cateroquin magni sit æstimanda; in hoc tamen casu mecum ipso conformare nequeo. Enimverò causa possessionis & proprietatis seu petitionis tantam habet connexitatem, ut & in uno libello ab actore cumulati, & ab eodem Judice in eodem iudicio simul & semel tractari debeat, veluti dictum est in tract. 1.

ead. 6. à n. 28. & hoc er. cap. 1. n. 72. & seqq. Quid igitur obstat, quò minus reus, interdictò quòdam possessorio adipiscendæ vel retinendæ (non item recuperandæ ex capite spoli) possessionis conventus, actorem rei vindicationis vel actione publiciana reconveniat? Neque celeritas processus in possessorio offendiculum parat: tum quia, hæc non refragante, causa possessionis & proprietatis ab actore in uno libello conjungi, anòque processu discuti possunt, veluti statim dictum est: tum quia, si in conventionem proponatur causa, summarie tractanda, pariter causa in reconventionem deducta, eisi alioquin plenariam disceptationem desideret, definienda est per cap. prudentiam 2. de Masuis petit. & dicta à nobis in hoc cap. n. 69. Neque etiam simultanea tractatio causæ conventionis & reconventionis facit, ut iudicium possessorium re-

reconventionem petitoriam excludat: sicut enim quoad ordinem cognoscendi conventio præcedit reconventionem; & tamen utraque causa simultaneò processu discuti censetur per cap. cum dilectus 2. §. non autem de Ord. cognit. ita & possessorium quoad ordinem cognoscendi præcedit petitorium, & nihilominus utrumque pari passu & processu ventilari dicitur cap. ad ultimum 2. de Causa poss.

& propriet. Repetantur, quæ in tract. 1. cap. 6. unum. 29. & seqq. enucleata sunt. In eo tamen Hubero d. l. unum. 3. iudens assentior, Reconventionem non habere locum tum in executione: utpote contra quam non opponitur actio, sed exceptio duntaxat; tum in imploratione officii Judicis, nisi per modum actionis instituat, ut in l. præses 1. §. ult. ff. de Extraord. cognit.

CAPUT IV.

De Interventione.

SUMMARIUM.

1. Quando interveniens habet eandem in individuo actionem cum uno ex litigantibus, potest eandem prorsus submovere. 2. & seqq. Declaratur exemplis. 3. Secus est, ubi actiones differunt. 6. Ostenditur exemplò. 7. Differentia inter unum & alterum casum assignatur. 8. Possitne venditor absolute cogi ad in-

tervenendum pro emptore? Proponitur ratio pro affirmativa. 9. & 10. Statuitur & roboratur negativa. 11. Resp. ad l. 75. ff. de Procurat. 12. Nisi venditor speciali pacto se obligaverit. 13. Interveniens potest recusare Judicem, agnatum à principaliter litigantibus.

QUÆSTIO I.

Possitne interveniens alterutrum ex litigantibus prorsus submovere seu excludere?

**E**ricus Mauritius in disp. de Fure Intervent. §. 23. egregie ostendit, posse id fieri, si interveniens eandem in individuo actionem sibi competere contendat, quæ utitur litigans. Exemplum unum desumit ex l. Titia 34. ff. Solutio matrim. de patre, cui post dissolutum filia matrimonium de dote acturo filia intercedit, actionem sibi, non patri, competere, contendens; quò probatò, patri actionem denegandam Jus scribit. Aliud exemplum subjicit de colono, depositario, commodatario &c. qui rem adversus vindicantem propriò nomine defendunt: defensio enim spectat ad verum possessorem, quò interveniente, reliquos recedere oportet. 4. per l. si quis 2. Cod. Ubi in rem act. Nec assimilabile exemplum affert de Domino, contra cuius subditos alius Jurisdictionem Territorialem vel simplicem affectat: ille enim interveniens removeret subditos, cum ipsi soli competat Jus Superioritatis defendere. 5. At, si non ipsissima numerò actio vel dete-

ctio, quæ utitur pars litigans, ad tertium intervenientem spectaret, interventio ad submovendum & excludendum litigantem propriè loquendò fieri non potest, ne quidem si tale jus urgeret interveniens, quòd jus partis litigantis ultimò & finaliter excluderet; ut patet exemplò duorum petitorum, qui rem jure domini in solidum vindicant: uterque enim nititur jure propriò, licet ex diversis forsitan titulis ortò, nec tamen unus alterum excludere, aut prohibere potest, ne jure sibi competente utatur. Vid. textus in l. is à quo 57. ff. de R. V. & l. sepe constitutum 63. ff. de Re judic. Differentia porò admodum notabilis intercedit inter casum & casum. Nam in primo casu interveniens potest totum processum ab initio repetere, non secus, ac si lis nulla adhuc mota fuisset. In secundo debet causam in eo statu assumere, in quo eam reperit tempore interventionis. Mauritius d. l. §. 25.

QUÆSTIO II.

Possitne venditor cogi, ut in causa evictionis, emptori mota, pro eo interveniat?

**N**onnemini sic videri posset: eò quòd venditor dicatur defensor necessarius, & in l. qui absentes 75. ff. de Procurator. disertè constitutum sit, nihil prohibere dominum, rem petere, & cogi venditorem rursus defendere. 5. Aliter verò & melius Huberus ad tit. ff. de

Evict. unum. 17. tuetur, quòd venditor non cogatur simpliciter pro emptore intervenire. Siquidem emptor, tanquam possessor, principaliter & immediatè reali actione conveniendus est l. in rem actio 1. Cod. Ubi in rem actio &c. quippe qua non contra venditorem, sed